



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 4. De diuersitate præceptorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

Præceptum diuersi generis comparatio in-
ter se.

SECTIO III.

Nu. 33.

Quartum documentum est: præcepto naturali positi-
quum, & huic, humanum cedere. Cuius ratio redditur;
quod Christus sua lege noluerit quidquam de iure natura-
mutare; nec homo quidquam contra ius natura Deique
voluntatem posuisse mutare. Id quod intelligi debet pro-
cedere, quando duorum præceptorum materia concurre-
cum omnibus circumstantijs requirit ad ipfum obliga-
tionem; ita nimur ut ius positivum nihil operetur aliud
circa materiam iuri natura, quam quod habeat suum, cum
illa concurrentem: vt accidit cum ad succurrentem extre-
me laborati, quod est iuri natura, omittitur Missa auditio
in die festo, qua iuri est positiu. Ratio vero cur debeat sic
intelligi, est: quod si præceptum positivum, circa naturale:
aut humanum, circa diuinum ita operetur, vt aliquam cir-
cumstantiam tollat in ipsius materia necessariam ad obliga-
tionem, tunc non cedat sed vincat: non tanquam fortius &
habens maiorem obligandi vim, sed tanquam remouens
aliquid quod necessarium ei est ad inducendam obligatio-
nem.

Nu. 34.

Sic præceptum est naturale, rationisve naturalis obliga-
tio, vitandi scandalum; sed interueniente duplicitate circumstan-
tia, prout patet ex iis quia dicta sunt in præced. lib. 14 in prio-
re parte quarti capituli. Altera est, vt operatio illa, ex qua fu-
mitur occasio peccandi, si omnino voluntaria & libera, id
est, fiat tantum ut operans obsequatur animo suo: altera ve-
ro ut occasio peccandi suum naturae ex ignorantia, aut ex infi-
mitate, non ex malitia. Iam vero præceptum positivum ali-
quid præcipiens, facit ut operetur quis, non ut obsequatur
animo suo, sed ut alium necessitati securia. Vnde concur-
fers cum antedicto præcepto de vitando scandalum tollit pri-
orem circumstantiam ipsius: sicutque fit ut non cedat eidem. Et
ita, prout loco cit. annotatum, puer ex cuius aspectu aliquis
exarescit, non tenetur vitare tale scandalum, si ex præ-
cepto Ecclesiæ ei audeundum sit templum, ad Missam audiendam:
vel si ille taliter turpidiñ ex malitia sit obnoxius. Si
militer ius naturale, recte ratio præcipit studendum esse
omni ope conseruatione Reip. sed cum hac circumstantia:
dummodo aliud maius bonum non possit: qua in circumstan-
tia cum contingat tolli per præceptum diuinum positi-
vum de seruando secreto in foro penitentiali (quando-
quidem bonum maximum omnium est: conseruationem ha-
beri in prelio, & malum maximum omnium ab illa homines
alienos esse) fit ut ne quidem pro seruanda repub. violandū
sit tale secretum. De qua re dictum est ex instituto in præ-
cedentib. 3. cap. 2. Eadem etiam naturalis ratio præcipit stu-
dendum esse conseruationi vita propria: sed cum hac cir-
cumstantia: dummodo maius bonum non obstat. Vnde Car-
thusianorum abstinentia a carnibus, etiam in periculo mor-
bi optime defendi potest: quia maius bonum est obser-
vare regidam regulam in tota religione, quam damnum vita
adseriri vniagroto.

C A P. IV.

De diversitate præceptorum.

SUMMARIUM.

- 35 Diuisiones præcepti ex materia, & ex forma.
- 36 Diuisiones ex fine, & ex efficiente.
- 37 Peccata que nulli speciali virtuti repugnant.
- 38 Quando diuersorum præceptorum transgressionem tantum com-
mittatur unum peccatum, & quando plura.
- 39 Præceptum affirmatiuum semper includit negatiuum: hoc ve-
ro illud plerumq. quidem, sed non semper.
- 40 Vnde dictus Decalogus, ipsamq. esse compendium eorum om-
nium quo agenda sunt, itemq. anima & quasi speculum.
- 41 In sacris literis commendatur Decalogi non modo cognitio, sed
etiam obseruatio.
- 42 Requisitavt talis obseruatio sit fructuosa.
- 43 De quibus daras sunt præcepta Decalogi, & quam sit necessaria
illorum cognitio.

44 Ratio denary numeri præceptorum Decalogi.

45 Triplex discernit in modo, quo eadem præcepta habentur tra-
dicta in Decalogi.

46 Triples ordo inter præcepta Decalogi.

Nu. 35.

Hæc diuersitas innoteat ex variis modis quibus diui-
ditur præceptum: præcipios attigit sufficiet sumptos
ex ipsius causis. Primo igitur ex materia, præceptum diuidi-
tur in generale & speciale: quorum illud iubet bonum, &
vetat malum in genere: vt datum in Psal. 23. Diuerte à malo
& fac bonum: vel in genere præcipit obseruationem man-
datorum: vt datum Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua
mandata. Hoc vero vel certæ atque specialis virtutis actus
præcipit, vel specialis virtutis actum prohibet. Quod rursus
distinguitur in illud quod est de pertinentibus ad charitatem,
& in illud quod de pertinentibus ad iustitiam: & in illud
quod de pertinentibus ad ceteras virtutes.

Secundo, ex forma diuiditur præceptum: primo quidem
in affirmativum & negativum: quorum illud imponitur in-
bendo, & hoc inhibendo: seruandumq; est omni tempore,
non item illud: sed instantum temporibus, que vel recta ratio
ex inspectione circumstantiarum, vel Superioris decre-
tum prescripsit: quod si difficultas aliquid aliquando
habet, id declaratur cum de unoquoq; tali præcepto in par-
ticulari agitur. Secundo vero ex forma, præceptum diuidi-
tur in commune & in priuatum: quorum illud est, quod ob-
ligat totam communiam, non singulos securum: vt præ-
ceptum matrimonij Gen. 2. Crescite & multiplicamini: &
præceptum sacrifordis Luc. 22. Hoc facite in meam com-
memorationem. Istud vero, priuatum inquit, est, quod o-
mnes & singulos obligat: vt præceptum de diligendo Deo
& proximo, & alia pene innunera.

Tertio, ex fine præceptum diuiditur in morale, quod ad
rectam morum institutionem: ceremoniale, quod ad Dei
cultum: & iudiciale, quod ad iudicium inter homines per-
tinet. Quia tria genera in omni lege fuerunt tam naturali,
quam Mosaicæ & Euangelica: sed ita ut duo posteriora di-
uersa essent in diuersis legibus, & primum idem esset in om-
nibus.

Quarto, ex efficiente ad diuisionem legis diuiditur præ-
ceptum in naturale, supernaturale, humanum, & mixtum:
quorum naturale complectitur omnis moralia, data de iis
qua secundum se bona sunt, aut mala. Supernaturale vero
in lege Euangelica, in qua sola nunc locum habet, continet qua
data sunt à Christo de Sacramentis. Humanum potio comple-
ctitur quodcumq; sive Ecclesiasticum sive ciuile: & est
aut commune, quod pertinet ad omnes ciuiscumq; statutis:
aut particulari, quod spectat ad certum hominum statutum.
Mixtum denique censetur potest continere tam omnia qua
sunt iuri gentium, tamquam partim naturalia, partim humana:
eo modo quo exp. statutum est in præced. libr. 13. num. 40.
tum etiam tria prima Decalogi præcepta, partim naturalia,
partim supernaturalia: hoc nomine, quod ipsa sint quidem
maxime conscientiae rationi naturali: ad ea tamen ratio ipsa
attinere non possit, nisi lumine supernaturali (vt habet So-
tus in 2. deu. & iure, quæst. 3. art. 1.) sit illustrata, ob rei ci-
licet de qua dancur cœlitudinem: qua est summi veriq; Dei
cultus; radio magisterioq; supernaturali indigen, vt omnibus
mortaliibus, prout oporet, clarescat: quemadmodum ibi-
dem S. us loquuntur: perinde ac secundæ tabule præcepta, re-
spectu rudiorum indigent magisterio humano.

Circa primam diuisionem pro præceptis in iudicio de pecca-
tis: notandum est i. multa esse peccata, qua (cum non sint con-
tra speciale vi tutem, sed generaliter contra syndicatum, rectam
rationem) generaliter tantum præcepto, non aliqui speciali,
repugnare censentur: vt peccandi intentio in communi, est
contra syndicatum, qua in genere dicatur malum esse fugien-
dum; & seipsum interficere, est contra rectam rationem, qua
id vetat: quantumcumq; fiat sine alterius iniuria, sive priuata,
sive etiam communis Reipub. vt si quis esset Reipub. omni-
no inutilis, velletiam perniciosus.

Notandum est secundo, peccatum quod committitur contra
speciale præceptum contentum in generali, non nisi in vnu
esse, commissum vero contra plura specialem præcepta, esse
plura peccata; iuxta Nauar. in Enchir. cap. II. num. 4. Cuius
notabili-

Nu. 36.

Nu. 37.

Nu. 38.

notabilis prior pars confirmatur ex eo, quod alioqui peccatum contra quodlibet preceptum, duplex est; cum omne preceptum speciale continetur sub generali. Posterior vero ex eo, quod præcepta distincta, quorum unum non includitur in altero, cum distinctas imponant obligationes, transgressorem constituant distinctarum culparum reum.

No 39. Circa secundam divisionem, notandum est: preceptum affirmatiuum semper complecti in le contrarium negatiuum; ut preceptum de honorandis parentibus; preceptum de non afficiendis illis iniuria. Ratio est: quia ex affirmatione aliquius, recte infertur negotio contrarij illius; vt Iucundum est. Ergo non est molestem. Præceptum vero negatiuum complecti quidem plerumq; contrarium affirmatiuum, ut preceptum de non furore, preceptum de restituendo rem alienam; non tamen semper: sicut nec semper ex negatione vienius lequitur affirmationi contrarii ipsius. Non enim recte sequitur, Paries non est albus. Ergo est niger: quia potest esse medio aliquo colore tintus. Similiter nec sequitur. Teneor ex iustitia, nulli vitam aut bona sua auferre. Ergo teneor ex iustitia omnibus vita & bona sua conservare. Nam prohibiti malorum latius patet, quam præceptio bonorum. Quæ doctrina est Sotii in 2. de iust. & iure art. 3. art. 7.

Circa ultimam notandum est, in ea sub nomine præcepti naturalis comprehendit decalogum: cuius respectu cum deinceps expositorum sumus speciale ratione iudicandi de peccatis, consilium est nonnulla de eo præmittere notata digna.

Notanda de Decalogo.

PARS RELIQVA CAPITIS.

No 40. Notandum igitur est primo, Decalogum ex numero præceptorum, quibus constat nomen habere: nempe ex decem verbis illis de quibus Exod. 34. ver. 28. dicitur; quod Moyses scripsit in tabulis, verba foderis decem: sumptu numerum verbi nomine pro sententia, seu dicto sententio: ut sè sit in libro Prove. b. vt & in Actis Apostolicis cap. 20. cum D. Paulus ait Meminisse oportet verbi Domini Iesu, Beatus est dare quam accipere.]

Censeor autem Decalogus ut ex Concilio Coloniensi habet Nau. in Enchir. cap. 11. num. 1. summa & compendium eorum omnium quæ Christianus debet agere: sicut symbolum Apostolorum summa est eorum omnium quæ idem debet credere: oratio dominica omnium eorum quæ debet à Deo sperare & petere. Itemque ut idem ex eodem Concilio tangit in sequenti num. 3. est quasi speculum quod baptizato traditur ut videat quantum per fidem acceptam renouet vitam suam; vel quantum declinaverit à via illa per quam Spiritus sanctus in baptismo acceptus, ipsum deducet: & qua in recidam vestem, quam in eodem baptismo induit, manculauerit: seu quibus peccatis, contraveniendo voluntati Dei, cuius obsequio per baptismi suscepionem mancipatus est, animam suam contaminauerit: aut à quibus peccatorum sordibus, per sacramentum Penitentia abluendam purgandis habeat. In quem usum necessarium esse Decalogum significatur per illud ad Romanos septimo, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret Non concupiscens:] & illud Deut. 4. Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes vniuersitatem præcepta hæc dicant. En populus sapiens & intelligens.] Quæ verba aperte etiam offendunt Decalogum sic contineat rudimenta pietatis & iustitiae tradita populo Israelitico; ut etiam contineant perfectam pietatem & iustitiam; iuxta illud Ecclesiastis cap. 12. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.

Cause autem inde inferre nihil esse ex obligatione faciendum nisi expremum in Decalogo, nam tenemur Deum super omnia diligere, & proximos sicut nosipios & multa alia facta de quibus nulla est in illo mentio, & ut recte admonet in citato num. 1. Nau. sed tantum conclude Decalogum constare eis præceptis ad quæ cetera omnia ad pietatem & iustitiam pertinentea reuocentur, tanquam illorum principia aut conclusiones.

Notandum est secundo, In sacris commendari nobis Decalogi non modo cognitione, sed etiam iugem, affiduam;

considerationem; per illud Deu. 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens atque cœlurgens] & illud Psal. 1. Sed in lege Domini voluntas eius & in lege eius meditabitur die ac nocte.] Atque considerationem; non quidem nudam, sed coniunctam cum obserua ione ipsius: cum dicitur Psal. 10. Iustitia illius in filios filiorum his qui seruant testamētū eius & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea] & Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt ilud] & cap. 12. Seruus sciens voluntatem domini & non faciens, plagi vapulabit multis.] & ad Rom. 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur] & Iacob. cap. 1. Estote factores verbi & non auditores tantum, fallentes vosmetipos] & cap. 4. Scient bonum & non facientes peccatum est illi] & 2. Petri 2. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrosum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato] & 1. Ioann. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.

No 42.

Ceterum ut fructuosa sit talis obseruatione exiguit ut fiat ex charitate, sine qua nihil ad æternam vitam obtinendam prodest; potest ut manifestum est, ex priori ad Corinth. cap. 13. Secundo, ut fiat quod omnia mandata. Nam sicut ille qui vel vni tantum artifex non credit, fidem non retinet ad salutem necessariam: ita quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, inquit D. Iacobus in cap. 2. sua Epistola; significans nihil ad æternam salutem prodest obseruationem præceptorum, ei qui vel vnicum transgreditur obligans ad mortale. Quod & ratio confirmat, quia per talem transgressionem exceditur ab ipsa æterna salute, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi seruia mandata. Tertio, ut fiat cum persecutio vobis in finem iuxta illud Matth. 10. & 24. Qui perseverauerit vobis in finem, hic saluus erit.

Notandum est tertio, in Decalogo non dari expresse præcepta de omnibus actibus virtutum & vitorum; sed de iis qui patent, quicunque omnibus, quantumcumque rudibus facile inculcari, & in promptu esse possunt. Nec; immerito, cum illius notitia, sicut & symboli Apostolici, sit ad salutem necessaria: quandoquidem ignorata, seruari nequeant; & ad ea obseruanda obligemur tum iure naturæ, quod immutabile est: tum iure diuino positivo, multo auctiore quam in veteri legi: ut patet ex cap. 5. D. Matth. vbi Christus Dominus Decalogum renouat: in auctoritate auctioraeq; forma, quam antea esset; præmissa illa duplice sententia. Non veni soluere legem sed admolare, id est, perficere. Nisi abundauerit iustitia vobis plusquam Scribarum & Pharisaorum; non intrabitis in regnum celorum. Vnde sequitur, omnes Christianos qui ad annos discretionis venerint, rationisq; usum habuerint, sicut tenentur obseruare, ita teneri scire Decalogum, non quidem eo ordine, ac verbis quibus in Catechismo proponi solet (pro quo multos autores Thomas Sanchez referunt in opere moralib. 2. cap. 3. numer. 16.) sed quoad illius substantiam, est, quoad iusta ut veritas in illo; ita ut interrogati valeant respondere, Deum esse timendum & colendum super omnia: Non esse: peccandum. Honorem esse deferendum parentibus: & sic de alijs.

Notandum est quarto, denarij numeri præceptorum Decalogi non posse reddi meliorem rationem, quam diuinam voluntatem. Quia tamen ipsa voluntas diuina semper est ratio ni consentanea: istam ut accommodatam ad captum nostrum adserunt Theologi, sumptum ex corundem præceptorum fine, qui est eruditie homines in iustitia, tum erga Deum, tum erga proximum; ut cuique reddamus quod ei debetur.

Tria sunt autem quæ debemus Deo: primum peculiaris cultus quæ vili alteri deferre, pr. hibemur 1. præcepto: secundum reuerentia ob quam 2. præcepto prohibemur nomen ipsius in vanum sumere: tertium, famulatus & obsequium, cui certum tempus tribuire iubemur, 3. præcepto. Proximi vero nostri sunt duplices: alij quidem quibus singulariter debitores sumus, & quod ab eis maxima bona acceperimus: quales sunt parentes, & quibus post Deum, habemus vitam, quæ maximum est bonorum temporalium: unde illis quarto præcepto iubemur honorem exhibere. Alij vero, quibus eti beneficia non debeamus, tenemur tamen eis

No 43.No 44.No 41.

eis non nocere, quod cætera præcepta iniungunt: quintum quidem, ne eis noceamus in persona propria, vitam auferēdo, aut quacunq; ratione corpus mutilanda: sextum vero, ne eis noceamus in persona coniuncta; proliſ, aut vxoris. Et demum reliqua necis noceamus in bonis externis: neq; ope-
re, quod septimum cauet: neq; verbo quod octauum prohibet; neq; etiam cogitatione, quod nonum & decimum ve-tant: illud quoad personam coniunctam; & hoc quoad cæ-
tera bona externa.

Nu.45.

Notandum est quinto, triplex discrimen cerni in modo quo de cæteris præcepta habent tradita in Decalogo Exod. 20. Primum est, quod primo & tertio addatur ratio, non item cæteris: primo quidem, per illud. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo seruitutis] tertio vero per illud. Sex enim diebus fecit Dominus celum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt & requieuit die septimo. Secundum est, quod primo & quarto adiungatur præmij propositio, non item cæteris. Primo qui dem per illud: Faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.] Quarto, vero per illud: Ut sis longius super terrâ quam Dominus Deus tuus dabit tibi.] Tertium est, quod primo & secundo subiungatur comminatio pena: non item cæteris. Primo quidem, per illud: Visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem iis qui oderunt me.] Secundo vero per illud, Nec enim in fontem habebit Dominus eum, qui afflumperit nomen Dei sui frustra.] Quorum diffringimus rationes qui volent, videre potest apud Sotum in 2. De iust. & iure quest. art. 7.

Nu.46

Notandum est postremo: triplicem inter eadem præcep-ta ordinem cerni in Decalogo. Primum est communis omnium; qui confitit primo, in eo quod cum essent scripta in duabus tabulis ex cap. 31. Exodi in fine, & ex seq. cap. 32. vers. 15. præcepta prioris tabulæ præcedant præcepta posterioris, duplice de causa: tum quia illa continent dilectionem Dei; & hæc, dilectionem proximi: quæ minus digna est: tum quia illa hominem, cuius vita militia est super terram Iob. 7. ordinant ad Deum, tanquam ad summum suum Principem; & hæc ad homines tanquam commilitones: consentaneumque est milites prius institui in ordine ad Principem, quam ad leiuicem; ut recte argumentetur Sotus in 2. De iust. & iure quest. art. 6. conclus. i. Confitit secundo in eo, quod cum in unaquaq; tabula sit tantum unum præceptum affirmatum, ipsum ponatur vlt. loco in 1. tabula; ordine scilicet executionis: in 2. vero tabula, primo loco ponatur, ordine mirum dignitatis & intentionis.

Vbi adiuerte præcepta affirmativa esse negatiuis priora dignitate & intentione legislatoris: siue in eadem, siue in diversa materia: quoniam illa instituta sunt ad imbuendas virtutibus animas nostras: & hæc ad easdem repurgandas à vi-tiis; quorum illud de se perinde habet se ad istud, ac planta-tio vineæ ad euulsionem veprum, à quibus agrum repur-gari, ipsa requirit. Vnde Ieremia quarto dicitur Nouate vo-bis nouale, & nolite serere super spinas & tribulos. Execu-

tione vero, negatiua sunt priora affirmatiuis, cum sicut a uiu-fio veprum ab agro est prior plantatione vineæ in illo, ita etiam prius sit vitum exuissse, quam virtute indui: quod fa-tis indicari videtur per illud Psalm. 33. Diverte à malo & fac bonum; & illud Iaiae 1. Quiescite agere peruerfe, discite be-ne facere.

Confitit postremo in eo, quod præcepta de operibus antecedent præcepta de verbis: & hæc præcepta de cogitationibus. Cuius rei ratio esse potest, quod cæteris paribus gra-niora & patentiora sint mala opera, quam verba: & hæc, quam cogitationes: vt occidiſſe quam ministratum esſe mor-tem, & hoc quam cogitasse occidere.

Secundus ordo cuius meminit Sotus in 2. De iust. & iure quest. 4. art. 2. ad 1. est proprius præceptorum primæ tabulæ: vt primum sit de non deferendo alteri quam Deo, cultum huic soli debitum: quod ad cordis fidelitatem pertinet. Se-cundum vero, de non afflumendo nomen Dei frustra: quod ad oris veritatem spectat. Tertium demum, de exhibendo illi famulatum & obsequium: quod ad probitatem mortum reducitur. Cuius ordinis ratio reddi potest quod grauius peccet qui cultum debitum negat Deo & alteri defert: quam qui se irreuerenter erga illum gerit: & qui hoc facit, quam qui negligit ei seruire in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus suis.

Tertius ordo est, proprius præceptorum secundæ tabulæ, quo illud de honorandis parentibus præponitur cæteris tan-quam dignius ac maioris obligacionis: cum eti teneamur nulli nocere non tenaciam tamen omnibus benefacere; sed specialiter parentibus, à quibus vitam accepimus. Vnde & de debito eis reddendo datum est præceptum affirmatiuū, cum de reddendo aliis, præcepta omnia data in Decalogo, sint negatiua. Quæ eidem affirmativa subintelliguntur hoc ordine, vt prius ponantur data de operibus, quam de verbis: & prius data de verbis, quam data de cogitationibus: & inter data de operibus, illa quæ maius malum prohibent. Quia igitur maius malum est lader proximum in persona propria adimendo illi vitam: quam in persona coniuncta proliſ vel uxoris, adiendo illi proliſ certitudinem & coniugij fidem: hocque porro maius malum est, quam laderere il-lum in bonis externis: fit vt quarto præcepto de honorandis parentibus succedat proxime quintum de non occiden-do: tum sextum, de non adulterando: tum deinde septimum de non furando. Quibus tanquam datum de verbis, subintelli-guntur octauum, de non dicendo falsum testimonium; & vi-tium locum tenet nonum, de non concupiscenda vxore proximi: & decimum, de non concupiscenda re aliena: quo-rum illud huic præponitur, eadem ratione qua sextus præpo-nitur septimo: quoniam illis in materia quam prohibent communi-cant. Hæcque hactenus dicta sint ad intelligentiam rationem iudicandi de peccatis habito respectu ad præceptum in communi. Quæ vero faciunt ad eam intelligentiam habito respectu ad vauum quodque præceptum in particulari, tradenda sunt deinceps.

LIBER